

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47

~~IX~~ ~~4~~ 43.
~~84~~ 146 A 47
~~C~~ 7 niet plakken
(Boekbandrr. 1789 D7)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47

269 B-6

MARCI ZUERII BOXHORNII

PANEGYRICVS

Celſiſſimo Arauſionenſium

PRINCIPI

FREDERICO HENRICO

POST

BREDAM EXPVGNATAM

DICTVS

In illuſtri Batavorum Academiâ, die XXIII Octob. Ano. cIↄ Iↄ CXXXVII.



LVGDVNI BATAVORVM,

Ex Officinâ ISAACI COMMELINI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47

KONINKL.
BIBLIOTHEEK
TE'SHAGE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47

CELSISSIMO. PRINCIPI.

FREDERICO. HENRICO.

PRINCIPI. ARAVSIONENSIVM. COMITI. NASSAVIO. FOEDERATORVM. BELGARVM. GVBERNATORI. ET. VTRIUSQVE. EORVMDEM. MILITIÆ. IMPERATORI. PIO. FELICI. INVICTO. QVI. ACCEPTA. MAXIMORUM. PRINCIPUM. PATRIS. FRATRISQVE. VIRTVTUM. AC. IMPERII. HEREDITATE. AUGENDÆ. ORNANDÆQVE. HVIC. RP. INUSITATAM. QVANDAM. ANIMI. MAGNITVDINEM. ET. RARAM. FELICITATEM. ADDIXIT. EXSERVIT. IMPENDIT. INFINITOS. HOSTIUM. CONATVS. STITIT. VALIDISSIMAS. EORVM. AD. RHENUM. ET. MOSAM. CIVITATES. VI. ARMORVM. AGGRESSVS. DOMVIT. EXPVGNAVIT. MAXIMI. TERRORIS. BELLA. NON. INTVLIT. TANTVM. SED. INLATA. REPRESSIT. CONTVDIT. CONFECIT. DENIQVE. NE. QVID. DEESSET. PATRIÆ. SECVRITATI. BREDAM. BRABANTIÆ. VRBEM. NOBILISSIMAM. VETVS. PECVLIVM. AC. SEDEM. NASSAVIORVM. VERAM. MARTIS. AREAM. AC. PALAESTRAM. QVAM. INVICTAM. FECERANT. OPERA. INVICTA. ET. NE. TENTANDAM. QVIDEM. OMNIVM. FAMA. LOQVEBATVR. ANTE. DVODECENNIVM. AB. HISPANIS. MAXIMIS. EORVM. IMPENSIS. LENTA. VNDECIM. MENSIVM. OBSIDIONE. TANDEM. FAME. FRACTAM. ET. AD. DEDITIONEM. COMPVLSAM. NVPER. ADMODVM. ADORTVS. INCREDIBILI. CELERITATE. SOLLERTIAQVE. OPERIBVS. QVAQVAVERSVM. FESTINATIS. FRVSTRA. OBNITENTE. PHILIPPO. IV. HISPANIARVM. REGE. SPECTANTE. EJVS. FRATRE. FERDINANDO. MAXIMIS. COPIIS. UNDIQVE. SED. INCASSVM. EXCITIS. CONSILIIS. CONATIBVSQVE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47

EORVM. ELVSIS. TVRBATIS. ÆVI. OMNIS. AC. MILITIÆ. EXEMPLIS. SVORVM. VOTIS. MAJOR. MILLE. PERICVLIS. SVPERSTES. AC. DEFUNCTUS. INTRA. MENSEM. TERTIVM. SVB. SVAM. ET. HVJVS. IMPERII. DITIONEM. COMPVLIT. REDEGIT. POLIORCETÆ. INCOMPARABILI. VICTORI. TRIUMFATORI. PERPETVO. PATRI. PATRIÆ. PATRI. CASTRORUM. PROCVRANDÆ. QVANTUM. LICET. RERVM. EIVS. AC. TEMPORUM. ÆTERNITATI. HÆC. ET. SE. DEDICAT. MARCVS. ZVERIUS. BOXHORNIVS.

ILLV-

ILLUSTRISSIMI PRINCIPES, MAGNIFICE RECTOR, NOBILISSIMI CURATORES, CONSULES, SENATORES AMPLISSIMI, PROFESSORES CLARISSIMI, PASTORES REVERENDI, DOCTORES, VIRI, QUOTQUOT ADESTIS, SPECTATI, GENEROSISSIMA NOBILISSIMAQUE JUVENUM CORONA.

QUemadmodum dubias & incertas bellorum vices ſæculorum omnium ac gentium exempla docuere; ita ſingulari benignitate Dei immortalis populo Belgij fœderato evenit, ut, præter pauciſſimas clades, ſimul cum magnitudinis ſuæ progreſſu, non niſi illuſtriſſima quævis tropæa ac triumfos numeraret. Veluti monentibus fatis, prima in rebus humanis tantum deberi *illis*, qui ad cauſſæ ſuæ æquitatem conferunt præſidium afflictæ quidem, ſed nunquam depoſitæ libertatis. Non explicabo aut majorum acta, aut omnem annalium noſtrorum fidem. Quod in oculis omnium nuper geſtum eſt; quod opes, ſpiritus, ambitionem ejus accidit, quem timebamus; quod

graviſsimam illi inflixit cladem, qui magnitudinem ejus aut diſsimulat aut nondum ſentit; quod veluti reſtituit nos nobis; quod adſeruit periclitantem hujus Reipubl. ſecuritatem; quo denique nuper feſtivitatibus, votis, gratulationibus omnia perſonuere, apud vos dicturus veni. Offero vobis, quod diu exſpectatum; unâ in urbe capta Rempubl. ſervatam; denique certiſsimum depoſitum ac pignus noſtræ libertatis. Nolo vos circumducere per ambages. Bredam cepimus, &, ſi unquam, nunc meritò triumfamus. Ceterum neſcio unde incipiendum mihi ſit, Auditores; cum tamen feliciſsime cœperit, ut pulcherrimum facinus ederet, fortiſsimus noſter Imperator. Video miracula cæleſtiſsimarum virtutum, video inuſitatum quoddam genus, ipſum, propemodum dixero, genium ac prodigium felicitatis. Ibat in æſtatem hic annus, cum de caſtris in hoſtili ponendis ſerio cœptum eſt cogitari. Quo & præcedentium annorum res, & effuſa in Hiſpanos Galliarum arma, & modicæ aut attritæ hoſtium vires invitabant. Qui primus belli apparatus, dum arcana conſiliorum teguntur, neminem magis fefellit, quam quem paullo poſt oppreſsit. Nec enim exſpectaverant hoſtes, quæ poſtmodum evenere. Impoſita navibus lectiſsima caſtrenſium manus; terra tamen erat, in qua & virtutem

tutem exſereret & fortunam tentaret. Ad Rhamkæam in Zelandia arcem diſpoſitæ navium ſtationes; unde opportunus in Flandriam trajectus. quam ut plerique noſtrorum, ita etiam hoſtes, opinione vulgi deluſi, tentandam exiſtimabant. qui in eam quævis militiæ præſidia contulere, tanquam futuram belli ſedem; & deſtituta copiis Brabantia, quam tamen Auriacus cogitabat. Nemo hoſtem ſuum ſic unquam decepit. qui eo in loco ſe ipſe deſeruit, quo facilius poterat invadi; cùm tamen cogitandus hoſtis ſit, ubicunque poteſt haberi. Miles noſter, & potiſſimum eques, cum anguſtiis navium, cum ventis ac tempeſtatibus aliquamdiu eſt colluctatus: non quo ſuis noceret optimus Imperator, ſed ut novitate exempli diverſa à ſuis hoſtium conſilia promoveret. Tantiſper adfligi noſtri debebant, ut mox incautos adorirentur; & à deſertis, derelictis, deſtitutis, minus noxæ reportarent. Quo graviora tunc perpeſsi, eò minora dein toleravere. Quippe alias in Provincias viribus hoſtium amotis faciliora omnia præter exſpectationem inrupturis reddebantur. Diſcant principes regeſque non minori animo conſilia hoſtium quam fortunas diſtrahi ac turbari. Dies erat Julij vigeſimus, cum, ſecundo æſtu, ferentibus poſt indomitas tempeſtates ventis, tota belli moles in Brabantiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47

converſa fuit; ea celeritate, ut prius circumventam Bredam, quam cœptum iter intelligeremus. Et, Hercle, feſtinato eſt opus ubi gerendum quod aut ſciri aut differri non debet. Qui hic moratur ardorem ſuorum ſufflaminat & ſiſtit fortunam. Gratiſsimus agreſtibus accidit Auriaci adventus; qui continuis Bredani militis excurſionibus, injuriis, pecudum hominumque; abactu, miſeri, inopes, exhauſti innocentiam ſuam diutius non poterant tueri. Quanto enim minus inter hoſtes, tanto acrius inter noſtros diſciplina militiæ vigebat. Quippe illi à ſtipendiis defecti etiam contra imperia raptus exercebant; hi acceptis quæ debebantur de invadendis miſerorum tuguriis non cogitabant. Quanti autem eſt etiam in hoſtili amari, &, ubi pugnæ campus, illis parcere, quos, quia bella non gerunt, vim eorum ac injurias fas eſt ignorare? Porro ubi quod cœptum erat circumtulit, quæ nihil diſsimulare jam poterat, fama, attoniti omnes; diverſi tamen hinc inde animorum motus. Brabantia omnis ac Flandria commoveri; quidam jam tum ſiniſtra ſibi ominari; alij ambitioſe pertinaces, &, ut ſibi videbantur, experti rerum, fiducia invictæ urbis, conſediſſe Auriacum, unde fugiendum foret, palam vociferabantur. Arrectæ tum ſpes Batavorum, qui ex ſucceſſu præcedentium annorum

norum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47

norum & animum ducis ſui & fortunam colligebant. In Brabantia exhauſtæ Sylvæ Ducis paludes, Trajectus Moſæ ac Hiſpanorum triumfatus, nobiliſsima exempla, in fidem patrandi operis, animis omnium obverſabantur. Nec enim ſerio aggreſſus eſt, quod non perfecit; & in poſterum ſucceſſus nobis loco erit, cum tantum cœpit. Deſidi jam Ferdinando, Hiſpaniarum in Belgio principi, eſſe non licebat; qui dum quas potuit copias evocat ac conjungit, prona ſibi omnia & facillima ſolvendæ obſidioni rebatur. Nec id factu difficile, Auditores, ſi in hoſtem incidiſſet imbellem ac ignavum. At vero tu ille eras, Magne Imperator, qui prudentia conſiliorum tuum jam ante & certo id facis, quod nondum eſt tuum; qui, quod tibi cœptum ſemel, intermittere non conſuevisti. Coacta eſt innumerabilis quædam proximis ex locis ruſticorum manus. qui, quo militum adverſus vim ingruentem ſecuritati conſuleretur, effoſſa terra, quæ neceſſaria erant condidere. Neſcio profecto quid magis debeam admirari an ſpeciem pulcherrimi operis, an in eo perficiendo incredibilem celeritatem. Pauci dies ſunt, queis peractæ caſtrorum circumvallationes, quæ ambitu ſuo ſpatium horarum fere quinque complectebantur. Circum illas ductus

aquarum, caſtella, turres, & quæ ejus generis infinita. Nihil quod non ſuo loco; nihil quod non ex præſcripto artis in longitudinem ac latitudinem juxta ſe commendaret. Singula debiti intervalli ſpatio diſpoſita; in extremo tamen ambitu uno omnia circulo, tanquam indiſſolubili quodam nexu, conjungebantur. Quam concinnæ autem ac firmatæ magnæ & primæ illæ caſtrorum ſtationes? quarum quædam ſpatium paſſuum octies mille quingentorum continuere. Tuam inprimis celebramus, invicte Imperator; in ea caſam & tugurium tuum; quo cohibere te tibi viſum, cum pro magnitudine tua anguſtum ſe nimis terrarum orbis agnoſceret. Quid non pro te libens miles tuus toleraret, cum depreſſum ac humile tectum tuum videret? Parum abeſt, quin te appellem illis verbis, quibus optimum & tui ſimilem Imperatorem ille olim excepit; *Gaudebunt poſteri oſtendere parvulis ſuis quis ſudores tuos hauſerit campus, quæ refectiones tuas arbores ſuſceperint; quod denique tectum magnus hoſpes impleveris*. Victa ſunt exempla Ducum antiquorum, dum ad mapalia te ſubmiſiſti eo tempore ac loco, quo maximis rebus intentus, & magnitudinem tuam omnium ora loquebantur. Videbat te hoſtis tuus, & tuus miles: quorum hunc ad magna attolleres,

leres, illum ex vili tecto contunderes, proſterneres, debellares. Peracta jam erant quæcunque caſtrorum robori ac munimentis ſollertia militiæ invenit, cum Ferdinandus inſtructis copiis in Auriacum contendit, fortunam tentaturus. Sed idoneæ ſatis ad inſultus non erant ejus vires, & cum plurima deſideraret ſolo impetu ambitionis, & libidine ſibi adſentandi, victor omnium jam erat & omnibus major. Eventus tamen rerum mox fefellit. Quod Imperatoris noſtri vigil ac in omnes occaſiones diſtractus animus, & vaſtæ operum circumquaque in terrorem exſtantium moles effecere. Ille curas dierum cum vigiliis conjungere; non ſomnum non caſam petere; equitum manu inſtructus caſtra circumire, & equum non mutare; emittere exploratores & audire; poſtremo denique imperij ac auctoritatis loco exemplum ſuum, quod omnibus erat majus, aliis commendare; ne ſcilicet furto noctis circumfuſi hoſtes abuterentur. Nemo unquam ita diem cœpit ita finivit. Supra naturæ ordinem, quo lucis & tenebrarum intervalla diſtinguuntur, vigilantia ducis erat. Non poterat non hærere Ferdinandus, &, licet quid agendum ſibi non ignoraret, aggredi tamen Auriacum non ſuſtinebat. Quin vero deprehendendum ſe metuit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47

tuit ab *illis*, adverſus quos nihil poterat audere. In diverſa conſilia nutabat anceps ejus animus; ſi conſereret manus, certus cladis; ſi nil tentaret, ludibria præſumebat. Aliò mox, unde ſpes major, ſe deflexit. quod ut tutum magis, ita pro gloria & prima ambitione non erat. Circumlatum ſcomma inter facetias militares; Admodum adhuc juvenem Ferdinandum, provectæ ætatis Auriacum, & inglorium juveni, licet victori, cum ſene in arenam deſcendiſſe. Sed mores potius, quam fortunam culpavero; quæ alterius prudentia ac celeritate heic intercepta. Quidvis alibi experiri hoſtes decernebant, ſive impetum facturi ea in loca, in quîs modica præſidia & amittendæ Bredæ damnum penſarent; ſive obſidione opportunæ urbis ab inſtituto ducem noſtrum revocaturi. In quæ omnia caſu magis, quam conſilio ferebantur. ut anxie in ſubitis quærenda fortuna eſt, ubi in tempore deliberaturis non offertur. Felicitatem noſtram inter tot inquietorum hoſtium conatus, cœlo ac tibi imputamus, magne Imperator. Vigiles tuæ, &, quas nunquam interrumpere potuiſti, curæ, tantum præſtitere ut iſtic eſſes, ubi non eras, ut te metueret, à quo remotus eras. Promoviſti ardorem tuum ultra fidem generis humani. Corpus

ac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47

ac animum partitus videbare; & tamen ubique tuus eras, ubique totus. Qui hoſtium tuorum ſpes interciperent, à tergo imminebant. Ita, ut de ceteris jam non dicam, in Voornium caſtellum, ſive Andreanum, primus impetus factus & non ſucceſsit. Ipſo ſervuli inter hoſtes monitu evenit, ut illi ipſi, relictis impedimentis, pedem ſimul referrent & cladem. Mox Venloam aggreſsi ſunt, non quidem virtute, ſed proſperiore ex inſidiis fortuna uſi. Vrbs illa Belgij non ignobilis; quæ ut magnitudine non excellit; ita munimentis adverſum hoſtes inſtructa eſt quantum ſatis. Unde durante civili hoc bello vim illorum excepit aliquando, nec ſemel ſtitit. Diu illa Hiſpano paruerat, cum proxime elapſis annis ab Auriaco non difficulter eſt expugnata. Præerat jam urbi Nicolaus Brederodius, vir militiæ experimentis hactenus ſatis clarus. Nec ad tolerandam obſidionem annona deerat aut manus militaris. Hiſpano tamen ſe præbuit, cum vixdum vis eſſet inlata. Quidam perfidiam atque adeo inſidias illorum, qui relligionis adverſæ; alij negligentiam Brederodij culpavere. Mihi adſeverare quidquam heic non vacat. Per me integrum unicuique eſto famæ ſuæ ac fidei decus; dum publici judicij auctoritatem exſpectamus. In-

ſidias tamen & artem omnes hic loquuntur; adeo ut nihil jam ſit quod in gloriam ſui hoſtes poſsint circumferre. Perfidia & dolus in obſcuro ſunt, ideoque non poſſunt evitari. Et ut ad calamitatem, ita ad dedecus eorum non faciunt, quibus intenduntur. Eadem clades Ruremundam quoque, quæ in proximo eſt, involvit. Non quod operoſe oppugnanda fuerit, ſed quia ſe non poterat tueri. Videtis quam modicum ſit, quod hoſtibus ſubjugatum; & tamen non amiſſum nos mallemus. Silentio non tranſmiſimus quantulaſcunque illas clades, ne in conſequutæ mox victoriæ prædicatione adulationem præſumeretis. Quin vero longe plures irriti hoſtium conatus ſunt, quos diſsimulamus. Ad Bredam interea pro victoria acriter pugnabatur. Quippe remoto externo metu urbem ipſam magno animo aggreſſus eſt ſolertiſsimus Imperator. Illius opera, vim ac robur qui videret modo, de ſucceſſu deſperabat. Parem Europa omnis nunquam vidit. Alibi ex natura & genio loci majora forſan præſidia habentur; ſive montes ſint, ex quibus & impetus adventantium videri, & ſimul propelli poteſt; ſive paludes, quæ inacceſſæ, & metaturum caſtra non ferunt; ſive anguſtiæ aditus juſtos invadentium ordines non admittant; ſive

aquarum longe lateque ſeſe diffundentium ſpatia eò loci hoſtem ſiſtant, ubi nocere non poteſt. At vero, quæ arti plura debeat, aliam ignoramus. Quidquid aut ſuperioris aut noſtræ ætatis ingenia in urbium tutelam ſecuritatemque invenere, in unam hanc ut impenſis maximis, ita feliciter eſt conlatum. Mœnia non ex latere quidem; quod firmius, cum vis non infertur, cetera fragile, &, ubi impetum excepit machinarum, proxima etiam hiatu aut ruina convellit. Terra tantum hic, & pulvis, & ceſpes; qui progreſſu temporis ita ceteris infixus, ut non advectus aliunde ſed innatus videatur. Nec enim recens opus eſt, quod facile convellitur & diſsipatur. Ea porro craſsitie, ut ictu tormentorum immiſsi globi non tam diruant terræ compagem, quam gremio ejus & intimo receſſu ſine noxa recipiantur. In eam altitudinem ſe extollunt, ut præter publicorum operum faſtigia vix aliud tota urbe exſtare videatis. Magna quidem illa, ſed, ſi cætera ſpectatis, nihili adhuc eſt, quod audiviſtis. Ex mœnibus adſurgunt editi colles, qui cætera omnia deſpectant, ex quibus impulſu tormentorum circumjecta omnia quaquaverſum inacceſſa redduntur, &, ſi quis propius ſe admoveat, certa clades infertur. In eorumdem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47

planitie munimenta decem & quinque. quæ ita ex ordine diſpoſita, ut, quamquam juſto ſpatio diviſa, mutuo ſeſe excipiant, & in laterum angulorumque ſibi invicem reſpondentium tutelam amplectantur. In his idonei ſuggeſtus, tantaque vis omnis generis tormentorum, ut ſubjecta omia nullo negotio contundi poſsint, ſubverti, deturbari. Aa fluvius alibi ſeptuaginta, nonnunquam centum & quinquaginta paſſuum latitudine mœnia circumlambit. Quaſi ad propulſandam vim terra non ſufficeret, aqua etiam in conatus inrumpentium conjuravit. Magna quidem illa, niſi majora adhuc eſſent, quæ his omnibus prætexuntur. De prodigiis operum loquor, quæ cum vix adſequi aut dignoſcere poſsit acies oculorum, quomodo exprimere poſſet anguſtia ſermonis humani? Provoco ad fidem veſtram, qui mecum vidiſtis. Lorica toto ambitu foſſam munit. Ad eam decem & quatuor in triangulorum formam inſtructæ moles. Quid loquar quinque majora opera, quæ longo tractu tribus urbis portis & uni Arcis invidendo robore prætenduntur? quibus ab angulorum exſtantium, & ex utriuſque lateris fronte prorumpentium ſpecie, Cornutorum inditum eſt cognomentum. Circum illa foſſæ latæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47

latæ fere paſſus triginta, receptacula, muri terrei, loricæ declives & frontibus præſtructæ, denique ex ſudibus invictæ ſepes. Plura ſunt, Auditores, & referrem plura, ſi peregrinis vocabulis heic uti liceret. Auctor quondam operum Mauritius Naſſovius, cui in normam regum ac bellatorum principum nato, famæ ac libertatis noſtræ æternitatem merito imputamus. Qui ut incredibilem felicitatem magnitudini animi ſui debebat, ita quo eam ſartam tectamque conſervaret, architecturæ militari, condendis operibus, muniendiſque in hoſtes civitatibus ad Europæ omnis ſtuporem totum ſe impendit. Quorum omnium Breda conſummatum exemplar & quaſi idea quædam erat. Ceperat eum amænitas loci. Videbat opportunam ſitu; videbat in limite poſitam, & proinde obnoxiam inſultibus inſidiiſque inimicorum; videbat quantum in eâ momentum haberet populus fœderatus; & iccirco potiſsimam ejus curam ſuſcepit. Mirari vero hic liceat viciſsitudines rerum. Quæ adverſum hoſtes Mauritius olim condiderat, nunc fratrem ejus fatigavere. Fatigavere autem ut brevi temporis ſpatio omnia expugnaret. Nihil aut magnitudini, aut incomparabili tuæ arti detractum eſt, dive Mauriti. Opera tua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47

invicta, immota adhuc ſtarent, niſi aggreſſus eſſet ille, cui nihil invictum; cui, quæ tua erant, debebantur; & niſi eorum fuiſſent, qui non poterant tueri. Impoſitus urbi Gomarus Forninius, vir ingens animi, & cujus ſpectata bello virtus meliorem & fortunam & cauſſam merebatur. Inſtructus erat nec modica nec ignava militum manu; ſed alia deerant, ſine quibus arma & bellorum artes non exercentur. Negligentia hoſtium etiam pro ſucceſſu noſtrorum fecit. Et infinitæ cujuſdam prudentiæ eſt eorum vitia in gloriam ſuam conferre. Ceterum progreſſum Imperatoris noſtri cum video, tacendum mihi eſt, Auditores. Ea domandæ urbi excitata eſt operum moles, ut nullorum ſæculorum memoria retulerit parem. Tam intricata omnia & ſimul concinna, impedita, circumvoluta, edita, ſuffoſſa, diviſa, connexa, ut, queis ea exponam, verba deſint. Qui ingreſſus nuper circuitus illos & anfractus Archimedis, pulcherrimam illam Bellonæ ædem, & inexplicabilem Martis labyrinthum de reditu propemodum cum ceteris deſperabam, forſan etiam nunc in deſcribendo aberrarem. Circumventi hoſtes, cum ſe circumventos neſcirent; abſciſſa, obſeſſa à tergo eorum opera, cum adhuc ſua & connexa

nexa

nexa ceteris exiſtimarent. Idem ad vallum & hoſtis & noſtri ſtabant; nec noſtri videbantur. Erant aditus, quibus cæcorum nomen indidere. queis recta in hoſtem, ignaro ipſo, tendebatur. Sic expugnata tandem quæcunque urbem cogitantibus obſtabant. Reliqua erat foſſa, nec niſi vineis tranſmittere licebat. quarum ſtructura utut cum periculis maximis & certiſsima hominum ſtrage eſſet conjuncta, differri tamen non debebat. Quin vero ne quidem pericula credebantur eo in loco, in quo ſe præſentem quotidie ſiſtebat qui primus auctor omnium & quaſi architectus erat. Qui laudanda omnia feciſti, Imperator, unum hoc excuſandum admiſiſti. Ignoſce amori noſtro quia ignoſcimus tibi. Vocabula illa ut infra magnitudinem tuam ſunt, ita illa metus nuper, nunc affectus imponunt. Liberi tui, tui ſumus, & ideo tanquam patrem compellamus. Noſter es, & te totum ac tantum nobis debes. Patere ſubditos tuos in ardorem tuum dominari. Quod etiam infra mortalium caſus eſſes, cetera ſupra mortales; quod exempla principum obverſarentur, qui ferro occubuere; quod impetus fulminantium machinarum Heroas ac Deo proximos ab imbellibus, ab ignavis non diſcerneret, meritò tibi & graviter me-

tuebamus. Quod tamen non ex ambitione, ſed neceſsitate egiſti, pariter etiam laudamus. Nota ſunt cælo pro te vota ac preces tuorum, cum corporibus noſtris tegere te non liceret. Et audita vota noſtra ſunt, quia juſta precabamur. Habuiſti cuſtodem tui Deum, & angelos cælo in tutelam tui legatos. Ita inter pericula ſine periculis verſatus es, & inter tonitrua tormentorum ac boatus, inter tot juxta te cadentium ſtrages, inter fulmina ac flammas, inviolatus, illæſus, &, qualis eſſe debebas, integer ſtetiſti. Parce tamen tibi in poſterum, ut parcas nobis. Mortalem etiam te natura genuit, quem ut ſæpe tranſeunt caſus, ita aliquando invenirent. Noli evertere bonum, quod dediſti, & corrumpere fortunas eorum, qui cum vel tantum cogitant pericula tua, jam tum periere. Noli explere vota hoſtium, qui ſpem ſuam in tumulum ac cineres tuos defixere. Cogita teipſum. tui ſimiles quotidie non naſcuntur. Cogita hanc Rempubl. tuam, quam pupillam, orbatam inter tot concuſſæ Europæ motus, inter tot conatus inſidiantium libertati deſereres. Cogita denique parvulum tuum, qui ut fœderatæ gentis præſidio eſt deſtinatus, tuas, hoc eſt, imperatorias omnes artes paternis tantum ex præceptis vel exemplis

referre poteſt. Non noſtra, ſed communis patriæ vox eſt, quam uſurpamus. Hæ ſupplicationes noſtræ, hæc vota noſtra ſunt, nec debent denegari. Indomitus, invictus eſt noſter Imperator; ſed utinam heic tantum à ſuis ſe vinci pateretur! Et tamen forſan injuſtum eſt, quod rogamus. Perſonam aliam natura principi impoſuit, aliam principatus. Quid enim hac animi magnitudine non effectum? quanta pericula non amota hoc contemptu periculorum? Nondum forſan capta urbe hoſtes domiti, nondum forſan tot gratulationibus, tot feſtivitatibus Patria ſe efferret, niſi adverſum tenerrima ſuorum vota immotum, aſsiduum, præſentem in omnibus ſe ſtitiſſet fortiſsimus Imperator. Modo in primis, modo in medio, modo in poſtremis aderat, ut omnes in officio contineret. Quotieſcunque illum cœleſtem vultum ſuum inter dubia & ancipitia præferret, quiſque muneris ſui ac virtutis monebatur; quiſq; grave putavit poſt illum eſſe, qui omnium erat primus; quiſque, poſtpoſita vita, nuncium ſibi ſuiſque remiſit, ut fidem probaret; quiſque animum à corpore diſcrevit, ne divortium faceret inter ſuum ac principis exemplum. Et profectò quod metuerent non erat. Liceat efferre illud vetus;

Cæſarem habebant & Cæſaris fortunam. Cæſar aliquando tranſmiſſurus mare, exorta gravi tempeſtate, omnibus ſibi metuentibus, magnifica voce uſus eſt; Non jam vivendum nobis eſt, ſed eundum. Nec aliter inter promovendæ ad Bredam vineæ anguſtias agebatur. Non vivendum erat, ſed operi erant applicandæ manus. Diſrupta ſubinde firmata jam compages, disjecta terræ ac faſcium moles, multi operi ſuo jam accincti, proſtrati priuſquam tentarent, aggeres cadaveribus cumulati, præciſa multorum capita, abſciſſæ labori intentæ manus, laceri artus & aliò velut vi turbinis ejecti, perfoſſa vulneribus corpora, lamenta denique, ejulatus, gemitus morientium audiebantur. Undique tormentorum recta ſe in militem exonerantium fragor; adeo ut lapſura cœli moles, convelli ima terrarum, & elementa omnia confundi viderentur. Quiſque locum, quem acceperat, ſepulchrum exiſtimabat. Si quis peractis vigiliis, & poſtquam operi ſatisfactum ſupereſſet, pro lucro habebatur. Stabat quiſque inter hoſtem ac principem ſuum medius, & interea animus augebatur. Videbant hunc ſocium periculorum, fratrem ſuum ac commilitonem, parem omnibus & omnibus majorem, præmia merituris offerentem

ſimul

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47

ſimul ac præſtantem. Quis vero in principis ſui contubernio ſtertere poſſet aut jacere? Videbant aſsiduum, nec pertinacem magis quam intentum hoſtem; videbant illatas ab eo & inferendas clades, aliorum cadavera, vulnera quorundam, quorundam cicatrices. Quem autem ultio non accenderet, non inflammaret? Exoſculor veſtros, qui occubuiſtis, Martios manes. Mori debebatis, quia ſine gloria vivere integrum non erat. Nec profecto omnibus datum eſt tam ſplendide mori. Gratulor vobis qui poſt tot pericula etiamnum ſupereſtis. Vivere debuiſtis quia mortem contemnebatis. Et Hercle pauci ſunt qui ea cum gloria vitam agunt. Iterum appello defunctorum manes. quorum donatas receptaſque cœlo mentes non dubitamus. Eat in Annalium fidem & ſtuporem poſterorum. quotiens proclivis in veſperam dies, & diurnis vigiliis exactis nova in nocturnas præſidia mitterentur, adſtabant in primo aditu qui ſacris operabantur, quorum ſermonibus ad mortis contemptum miles induratus, conceptis precibus, impetrata noxarum venia, animis corporibuſque cœlo commendatis, plenus Dei, ſive vitæ ſive mortis ſtationem occupabat. Erat ibi gladius Domini & Gedeonis. Pulcherrime vivebat

quiſque ac moriebatur. Ita, inter infinita diſcrimina, confectum tandem illud opus, quo in ipſam urbem aditus præbebatur; quo ad deditionem coacti hoſtes, quibus pertinacibus eſſe diutius non dabatur. Exſtruxerit immenſam illam molem ſuam ad Tyrum Alexander; Rhenum ac Moſam fluvios equis armiſque olim tranſmiſerint noſtri majores; pontem etiam Rheno infixerit Cæſar, longe præſtantius eſt quod apud vos nunc laudamus. Sub oculis hoſtium, inter vim metumque omnia perrumpentium tormentorum, inter ſola præſidia tenebrarum, inter tot fiſtularum globos, qui ſine intermiſsione & ad grandinis inſtar in laborantes incidebant, inter tot hoſtium deſuper & à latere hoſtilia intentantium manus, inter injurias cœli ac pluviarum, inter tot cædes architectorum, in ipſo, ut breviter dicam, mortis gremio aut regno, hæc tam celeriter confici potuiſſe quis poſterorum futurus eſt qui credet? Magnitudine exempli inferiores ſumus, & Annalium conditores mendacij aut adulationis aliquando inſimulabuntur. Formam operis qui videre, inelegantem dixerint, rudem, inconcinnam. Non erat niſi pulveris ac luti faſciumque interjectorum ſordida quædam moles. Quantum tamen effecit? Nemo cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47

eo contendat aut arietes aut muſculos aut teſtudines populi Romani. Strata hic via, quæ non erat; calcatæ aquæ, quæ paullo ante neminem ſuſtinebant. Undæ, terra, ſilvæ in unum coiere. Pedem quiſque ſimul, &, quod ſtupendum eſt, viam promovebat. Non poterat non ſequi quod mox evenit. Extrema hoſtibus imminebant niſi paciſcerentur. Annibal enim ante portas erat, ſed cui operoſe clementiam in victos non perſuaderes. Suum militiſque ardorem ſtitit, ne in extrema urbem præcipitaret. Laudabili principum exemplo, qui nihil egiſſe ſe credunt, ubi pretium victoriæ perit; qui diſpari animo in contumaces ac ſupplices utuntur; qui tunc demum victores ſe credunt, cum victos ſe gaudent illi, quos debellavere. Veſtram, Cives, conſcientiam interrogo, qui victi eſtis. Dolemus quidem vices veſtras ac calamitatem. Vidimus ſpectacula, quibus noſter & omnium animi commovebantur. Vidimus ampliſsimarum ædium ſtrages; mutatam faciem rerum; & plurimum detractum iſti ſplendori, quo ante annos plures vos efferebatis: & graviorem adhuc metum fuiſſe credimus, in quo verſati eſtis. Credite tamen mihi, Cives; mihi, quem multi veſtrum infantem adhuc & vagientem ulnis ſuis ac

gremio excepere; plurimi ſocium inter prima vitæ rudimenta & puerorum delitias habuerunt; quem nunquam deſtituere illa vota, quæ pro incolumitate veſtra ipſi ſuſcepiſtis; quem in media Batavia nunquam deſeruit aut Bredæ aut veſtri amor; mihi credite, in tempore victi eſtis. Pereundum vobis erat, niſi periiſſetis. Sed in vocabulis rerum longiſsime aberramus. Fortunam veſtram ignorant, qui vos victos credunt. De vobis loquor, qui in media ſervitute adhuc tenaces fuiſtis libertatis; qui inviti olim dominum non animum mutaſtis; qui denique graviora adhuc ſuſtinere voluiſtis in ſpem ejus felicitatis, quam nunc conſequuti eſtis. Vota veſtra ſuperaſtis, Cives, cum ſtatus rerum temporumque hactenus effecerit, ut ne quidem iſta ſperare auderetis. Viciſtis tyrannidem eorum, à quibus afflicti, oppreſsi, & tantum non enecti eſtis. Libertatem veſtram vobis gratulor, Cives, quibus, relictâ urbe, alio ſe conferre occaſio rerum non permiſit. Veſtri nunc eſtis, qui paullo ante eorum fuiſtis, qui ne quidem erant ſui; ad quorum ignotos vultus & vel ſola nomina tremebatis; qui non niſi ludibriis, contemptu ac terrore minarum innocentiam veſtram perſequebantur. Reditum etiam vobis gratulor, Cives, qui hactenus extorres

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47

in hanc temporum ſupereſtis felicitatem. Revertimini poſtliminio; repetite agros veſtros ac lares. Reſtituta vobis eſt libertas ſacrorum. Utinam autem, utinam ſimul mihi vobis ſiſtere liceret illum nominis ac ſanguinis mei nuper defunctum ſenem; quem vos olim tenerrime dilexiſtis! qui primum beatitatis veſtræ, mox exilij ſocius fuit ac comes; quem natura mihi avum, in vos officia parentem veſtrum eſſe voluere. Optaverat quidem durare in hanc beatiſsimi ſæculi lucem; ſi qua tamen rerum humanarum cura tangit innocentiſſimos ejus manes, ſibi etiamnum vobiſque gratulatur. Ignoſcite pietati meæ, Auditores, in eam urbem, quæ duriſsimæ Obſidionis aliquam partem me olim eſſe voluit; quæ maciem corpuſculi mei ac inediam tunc vidit; quæ denique belli calamitatibus, injuria temporum, me involvit, cum pene adhuc ipſum belli nomen per ætatem ignorarem. Ceterum publica ſunt, ex quibus victoriæ hujus magnitudinem potiſsimum æſtimamus. quam profecto non melius quam clade hoſtium metimur. Anni jam duodecim ſunt, cum auſpiciis Hiſpaniarum Regis, duce expeditionis Ambroſio Spinola (in quo quamquam hoſte militiæ decus etiam commendamus) Breda & arctiſ-

ſima obſidione cincta eſt & expugnata. Cujus victoriæ ut potirentur multa tunc hoſtes invitabant. Berga ad Zomam, poſt Bredam prima inter munitas Belgij civitates, quam ſi patriam meam heic dixero à gloria non fuerit alienum; Berga ad Zomam, ab hoſtibus poſt acceptam ingentem cladem deſerta, Hiſpanæ ambitionis ludibrium paſſim circumgeſtabat. Bredam inſtaurandis rebus relictam ſibi putavere. Quin & ex ea urbe adſiduæ in ulteriorem Brabantiam excurſiones. Expugnata ea, navigationes, quæ inter Zelandiam Hollandiamque, principes Fœderatorum ditiones, intercipi aut turbari poſſe videbantur. Extrema & exceſſum noſtræ libertatis, & ſic explendam ambitionem ſuam hoſtis cogitabat. At vero à deſtinatione ſua longiſſime remotus fuit. Urbem quidem ipſam ſibi ſubjecit, ſed ſequuta non ſunt quæ præſumebat. Quantum autem temporis ſpatium, quantæque impenſæ, queis expugnavit? Menſes undecim ſunt, queis cum ſordibus & inopia rerum, non aliter ac ſi obſeſſus foret, miles regius eſt colluctatus. Pene attritum omne, quod in Belgio erat, robur militiæ Hiſpanorum. In poſitum caſtrorum, in advehendos remotis ex locis commeatus, in alia quævis ea expoſita, queis regna

ac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47

ac ſceptra redimerentur. Ærarium, quod ſine fundo videbatur & in ſæcula ſufficere poterat, exhauſtum eſt. Acciſæ inde Orientis, hinc Occidentis Indiæ opes. De quo ſi dubitetis, Auditores, hoc tantum dixero, neminem id magis credere, quam qui ſentit. Didicit Philippus illuſtri experimento, quanti operis ſit, præter innumeras clades, vel ſemel tantum feliciter adverſus illos pugnare, qui tuentur libertatem. Nunquam ab eo tempore in fœderatos exiit exercitus Hiſpanorum, niſi provocatus. Stipendia non ſoluta; domi, foris non tam cum hoſtibus, quam domeſticis anguſtiis pugnatum. Non ſum in hanc Rempubl. male animatus, & tamen ſimiles victorias hoſti non inviderem. Qui ſic vincit, ſe ac fortunas ſuas ſubvertit; præſertim ille, qui nihil fructus rettulit poſtquam vicit, & vicit quod paullo poſt victo redonaret. Qui in præſidio poſitus miles lachrymis agreſtium victitavit. Ex Swalua nocturnæ, quod ignavorum eſt, in fluenta publica excurſiones. Exacti ſubinde hoſpites, &, cum, nihil in ſummam rerum conferretur, ſemel quotannis aliquis noſtrorum miſer fuit. Hæc iſta facinora ſunt, quæ edebantur. Quô igitur profuſæ tam immenſæ opes? Quomodo ſatisfactum ambitioni, quæ

Reipub. noſtræ extremos ſingultus atque exſequias ſibi pollicebatur? Quam inglorium etiam & effæminatum illius victoriæ nomen? Fame ad deditionem compulſi ſumus. Nullus ibi virtuti locus, ubi eorum, qui obſeſsi, virtutem metuit ille qui obſidebat. Qui animis noſtrorum par non erat, corpora tentabat. Vivere non potuimus, qui poteramus pugnare. Adeo ut ne quidem tunc victi ſimus. Tua tamen intererat, noſter & invicte Imperator, ut vel ſic etiam vinceremur. Viciſti jam quod tuum erat, quia victum nunquam fuit; & invictum tamen experti rerum credebant. De ſucceſſu conſiliorum tuorum nunquam deſperamus, qui cum nobiliſsima expeditione tam celeriter, non quidem præter ſpem tuorum ſed præter exſpectationem omnium, tranſegiſti. Deus, cœlum, animus & hoſtes tui voto tuo reſpondere. Tu tua tibi, libertatem tuis, ſecuritatem omnibus reddidiſti. Qui Bercka & Veſalia ſubjugatis Rhenum tibi feceras vectigalem; cui Trajectum ſuum ſubmiſit Moſa pater; felicitatem tuam etiam Scaldi debebas. qui intutus, vexatus hactenus ab illis quos jam viciſti. Nihil hic fortunæ, omnia virtuti tuæ debes, quæ adverſa quævis aggreditur, atterit, proſternit. Proîn adſurgunt tibi illa ipſa

tecta, quæ fulminaſti; ipſi illi cives, quos recepiſti. Adſurgunt tibi Engelberti & Henrici Naſſaviorum manes, quorum cineres ſepulti ſervitutem eorum ac ſordes deteſtati ſunt à quibus premebantur. Adſurgit Mauritij tui mens auguſta, qui condidiſſe ſe gaudet quod tam feliciter debellares. Adſurgit tibi patria omnis, quam, quia de omnibus mereris, ſolam tuam feciſti. quæ nuper tota, quanta erat, in ſpectaculum tui ac prodigioſorum operum tuorum effuſa, fortunas ſuas, vota, deſideria æternitati tuæ ac illuſtriſsimæ ſobolis tuæ addixit, devovit, obligavit. Tua hæc omnia ſunt, Imperator, & quia plura reſtant quæ veneratione potius quam voce amplectimur, in ſtuporem admirationis defixi, muti, elingues, &, quia longe inferiores ſumus, inviti tacemus.

DIXI.

IN URBEM
BREDANAM,
pauciſ poſt abſoluta obſidionis munimenta diebus, à Celſiſſimo Principe occupatam.

*V*RBS *illa, belli præmiumque virtutis,*
Et alea anceps, hinc & hinc, tot annorum,
Cui nil ſecundum, nil ferocius quicquam
Munitiuſque Belga ſuſpicit noſter,
Quam regno Iberus vix redêmit, & lenta
Decemque & ultra menſium fame preſſit,
Hæreditas auguſta gentis invicta,
Priſcumque Achillis patrimonium noſtri,
Quo nixa ſpirat eminetque Libertas,
Roburque ſumit, æmulantibus major;
Mox officina cladium Batavarum,
Syrtiſque, & atrox navigantium peſtis;
Opinione civium prius, ferro
Tentata, Domini nutibus ſui ceſſit:
Ipſumque ſenſit imperantis adventum.
Parere dicas, non ſequi reluctando:
Illum, intonantem mœnibus ſibi clauſis,
Suiſque, qualis impetu minax toto
Inobſequentes Iupiter ferit terras,
Pugnare non jam, ſed jubere, quæ vellet.
Vix hoc Batavus, ipſe vix Iber, vaſtus
Vix credit orbis, ipſa vix ſibi credit,
Ignara ſervitutis, ac ſui compos.

Inſtar

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47

Inſtar procellæ quippe, vel polo rupti
Et ominoſi fulguris, ſuos ductor
Seque acer anteceſsit. vtque ſic hoſti
Suam probaret, debitamque, non armis
Succeſsibuſque, ſed domeſticum pignus,
Fremente Ibero, copiiſque, quas omnis
Adverſa noſtris viribus fovet tellus,
Plenus paterni ſanguinis, ſui plenus,
Veniendo tantum vicit, & triumphavit.

De ejuſdem Vrbis victoria ad eundem Celſiſsimum Principem.

Rerum certa ſalus, patriæque & gloria Patrum,
Queis ſua ſubmittit jura ſuperbus Iber,
Veniſti indomitam fati explorator ad urbem
Ipſe tui, qua nil Belgica majus habet.
Oppoſuit fratrem tumidi regnator Iberi,
Oppoſuit vires quicquid vbique ſuas.
Ceſſerunt paucis tot munimenta diebus,
Vix expugnandum fulmine ceſsit opus.
Fratri fratris opus ceſsit, ne cederet ulli,
Et ſponte hæredem ſenſit adeſſe ſuum.

In eundem Celſiſsimum Principem, poſt maxima obſidionis pericula incolumem.

HOrrida tempeſtas clauſam dum percutit vrbem,
Et ſe miſsilibus vindicat illa ſuis,
Cœlum ipſum ruere in terras, tonitruque putares
Bellaque Cyclopum cominus igne geri.
Dux ingens manet intrepidus, ſeu ſaxea moles
Iratæ quam vis undique pulſat aquæ:
Nec ſibi, ſed mortem patriæ Patribuſque minatus,
Inſtat, & incœptum fervidus urget opus.
Erumpunt gemitus paſsim: ſpes tanta timore
Vincitur, vt res eſt plena timoris amor.
Quis credat? minimum eſt vrbis victoria tantæ:
Cum Duce plus patriam non cecidiſſe fuit.

Aliud ad eundem, de ſerenitate cœli, poſt continuos imbres, circa tempus ipſum quo expugnata vrbs eſt.

QVod cœlum ſine nube fuit, prius imbribus vdum
Cum ſe ſubmiſit Breda ſuperba tibi,
Quod tantis munita opibus, valloque, viriſque,
Acceſsit laudi, Dux generoſe, tuæ,
Tam cito quod turres validas ſubmiſit & arces,
Et voluit, cœlo ſed præeunte, capi;
Blanditur Natura parens, fortiſsime rerum,
Ipſaque adulantur mœnia clauſa tibi.
Ius pro te in partem cœlumque homineſque vocabat,
Ne tua non eſſet, quæ tua jure fuit.

DANIEL HEINSIUS.

Lugd. Bat. Typis WILHELMI CHRISTIANI. 1637.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47

908

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
146 A 47